



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)



Th  
4897







MAGNA GLORIA  
ANTIQUÆ & NOVISSIMÆ  
DOMUS SCHWARZACENSIS  
A  
MAGNO SACERDOTIO

SIVE  
VITA & RES PRÆCLARE GESTÆ

*Reverendissimorum, Perillustrium, ac Amplissimorum*

DD. ABBATUM

Celeberrimi & antiquissimi Monasterii O. S. B.

in Münster - Schwarzach

LUCI PUBLICÆ DATÆ,

QUANDO

REVERENDISSIMUS AC CELSISSIMUS

S. R. I. PRINCEPS AC DOMINUS,

D. FRIDERICUS CAROLUS

DEI GRATIA

EPISCOPUS BAMBERGENSIS,

& WIRCEBURGENSIS,

FRANCIÆ ORIENTALIS DUX &c. &c.

*DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS,*

MEMORATAM ECCLESIAM RITU SOLENNI CONSECRABAT

*Sexto Idus Septembris Anno MDCCXLIII.*

WIRCEBURGI, Typis Joannis Jacobi Christophori Kleyer, Univ. Typogr.



MAGNA GLORIA  
ANTIQUE & NOVISSIME  
DOMUS SCHWABENACENSIS  
MAGNO SACERDOTIO  
VITA & RES PRÆCLARE GESTÆ  
DD. ABRAHAM  
LUCI PUBLICE DATÆ  
RENERENDISSIMUS AC CELEBRISSIMUS  
S. R. I. PRINCIPES AC DOMINUS  
D. FRIDERICUS CAROLUS  
EPISCOPUS BAMBERGENSIS  
& WÜRZBURGENSIS  
FRANCIE ORIENTALIS DUX &c. &c.  
MEMORIAM ECCLËSIAM RITU SOLEMNI CONSECRAVIT  
WÜRZBURG Typis Joannis Josephi Chiffelhorst-Kleyer, Univ. Typogr.





## EXEGESIS.

**F**uit hoc divini Codicis Scriptori-  
bus solenne, ut, cùm augustam  
Templi Hierosolymitani fabri-  
cam suis in paginis descripse-  
runt, non illius magnificentiam modò  
exprimendam, sed summos etiam Sa-  
cerdotes, templi Præfides multis lau-  
dum encomiis exornandos putarent.  
Quis enim est in sacris monumentis  
adeò peregrinus, ut nunquam legerit  
Sadochi, Joræ, Jojadæ, Uriæ, Helziæ,  
Zaræ, qui quidem ante captivitatem  
Babylonicam templo præerant, vel Jo-



fedeki, Joachimi, Oniæ (ut multos alios prætermittamus) illustre præconium, quo eorundem vita & res laudabiliter gestæ illustrantur? Certè in uno Simone Oniæ filio prædicando omnem suam facundiam exeruisse videtur sacer Historicus; cùm nihil sit tam illustre, nihil tam augustum & splendidum, ex quo laudem illi aliquam non accersere velle videatur; jam Stellæ eum matutinæ, jam Lunæ plenæ, Soli denique ipsi comparando.

Tam sanctis vestigiis ut insistere-  
mus & nos, nequaquam fati esse puta-  
vimus, novæ Ecclesiæ Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii Münster-  
Schwarzach O. S. B., quod ad S. FELI-  
CITATEM dicitur, Ichnographiam æri  
incidere; sed Reverendissimorum, Per-  
illu-



illustrium; ac Amplissimorum DD. Abbatum, qui ad Coenobii hujus clavum per sæcula novem & aliquot lustra laudabiliter sederunt, vitam & res gestas adnotandas esse censuimus; ubi illud nobis perquam commodè accidit, quod encomiorum decas, quibus Simonem Oniæ filium Scriptura celebrat, in novem sæculorum, & decimi hujus, quod auspicati sumus, Reverendissimos, Perillustres, ac Amplissimos DD. Abbates cadere videatur. Ac primò quidem *Stella matutina in medio nebulae sæculi I. 5.* Abbates designat; *Flos rosarum in diebus vernis* duos sæculi II. Prælatos significat, tot calamitatibus vexatos, quot rosa spinis circumvallatur: *Lunæ plenæ in diebus suis lucentis* symbolum III. sæc. Præsulibus tribuimus, quo post varias vicissitudines



ciffitudinesultimum Monasterio nostro  
 quasi complementum ADELBERO Epi-  
 scopus Wirceburgensis addidit. *Lilia,*  
*quæ sunt in transitu aquæ,* dicimus eos,  
 qui IV. sæculo Monasterii gubernacula  
 tenebant, perinde benedictionis coele-  
 stis copiâ, atque hæc lilia aquis affluen-  
 tes. *Arcus refulgens inter nebulas glo-*  
*riæ* sæculi V. Præsules fuerunt tam variâ  
 usi fortunâ, quàm diversos Iris colores  
 exhibet. *Thus redolens in diebus æsta-*  
*tis* iis qui sæculo VI. Monasterium re-  
 gebant, adjungimus; quorum plurimi  
 & insignem pietatis odorem spirabant,  
 & adversis probati sunt, perinde ac thus  
 igne crematur. *Quasi Sol refulgens* sæ-  
 culi VII. Abbates plerique boni exem-  
 pli luce fulserunt, & *quasi Oliva pullu-*  
*lans* coeli tempestatibus exposita est,  
 rusti-



rusticorum furorem sæculum VIII., & qui tum Monasterio præerant, experti sunt. *Quasi Cupressus in altitudinem se attollens* ad majorem semper gloriam sub sæculi IX. Prælati Abbacia emergebat; denique *quasi Vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso* decimo hoc sæculo, quod auspicati sumus, floret Abbacia Schwarzacensis sub Reverendissimo, Perillustri, ac Amplissimo Domino D. CHRISTOPHORO. Quæ omnia ut aliquantò clariùs intelligant universi, Reverendissimorum, Perillustrium, ac Amplissimorum DD. Abbatum seriem subjicimus.

SÆCU-



## SÆCULUM I.

*Ab Anno Christi 815. usque ad 915. numerat  
Abbate quinque.*

Benedictum, Madelbertum, Hardwi-  
gum, Ebbonem, Tragulphum.

### BENEDICTUS ABBAS I.

**M**onasterio Schwarzacensi Ordinis S. Benedi-  
cti (cui à Meingaudò Duce & Caroli M.  
Nepote, Conditore nostro munificentissimo no-  
men *Meingaudenhausen* initio adhæserat) pri-  
mum Abbatem Gallia submisit Benedictum unà  
cum lociis II. anno Domini 815. Illi Meingau-  
dus Dux consentiente conjuge suâ Yma (Leone  
III. Ecclesiæ, Ludovico Imperii, Wolffgero Ec-  
clesiæ Herbipolensis clavum tenentibus) Mona-  
sterium recens excitatum & amplissimis redditi-  
bus instructum tradidit. Benedictus eidem  
præfuit summâ pietate, dexteritate, & sapientiâ;  
quæ cum magna in rebus omnibus, maxima ta-  
men enituit tum, cum libros plures summo rei  
literariæ suo in Monasterio emolumento describi  
cura-



curavit; quid? quòd religiosè sapientissimi Præ-  
 fulis fama orbem pene universum ità compleve-  
 rit, ut in ipsam adeò Ludovici Cæsaris aulam pe-  
 netrârit; à quo Coloniam Agrippinam accitus,  
 Monasterii sui negotia ibidem felicissimè pertra-  
 ctavit. At ecce! dum Coloniâ redux suum in  
 Monasterium cogitat, anno regiminis 28. à Chri-  
 sto nato 843. ab Alberico quodam Comite ca-  
 pitur, Treviros abducitur, crudeliter perimitur;  
 ibidem in Monasterio S. Maximini terræ manda-  
 tus.

## MADELBERTUS ABBAS II.

Intellectâ Benedicti crudelissimâ cæde novum  
 sibi Abbatem Madelbertum religiosa familia suis  
 suffragiis creavit anno Christi 843. temporibus  
 Ludovici II. Pii Imperatoris, & Gotzwaldi Epi-  
 scopi Wirceburgensis. Id temporis fuisse legitur  
 aliud adhuc Monasterium Virginum Deo sacra-  
 rum O. S. B. in villa Schwartzach; quod tamen  
 deinceps, unâ cum nostro, petente Gotzwaldo Epi-  
 scopo Wirceburgensi, annuente Ludovico Im-  
 peratore Tydrada Caroli M. neptis (Meingaudi  
 filiam fuisse aliqui volunt) D. Kiliano tradi-

B

dit



dit. Utrique Monasterio præfuisse Abbatem Schwartzacensem duplex pedum, quod insigne Schwartzacense exhibet, in hodiernum usque diem satis declarat. Annus & dies, quo Madelbertus obiit, non constant; opinio est, eum è vivis excessisse anno Christi 867. utpote quo illi suffectus fuit

### HARDWIGUS ABBAS III.

De quo procul dubio multa laude digna commemoranda venirent, si modò res & ab eo & successoribus, usque ad tempora Egeberti Abbatis, laudabiliter gestæ vel diligentius litteris consignatæ fuissent, vel scripta temporum injuriâ non interiissent: quæ de eo ad nos pervenerunt, luctuosa sunt & perquàm funesta; quorum memoriam in nostris aliorumque animis obliterari cuperemus, nisi præteritorum malorum secura recordatio dulcedinem haberet: diripiebantur nimirum Monasterii nostri bona miserum in modum, adeoque inclinatæ erant illius res, ut nisi Episcopus Herbipolenses nonnullos nobis amicos, Adelberonem illum præcipuè in 2do ab hinc sæculo circa annum Christi 1047. Divina  
boni-



bonitas largita fuisset, Monasterii Schwartzacensis vix nomen restaret, & seges esset, ubi illud nunc excitatum est. Vixit Hardwigus ætate Ludovici & Caroli Imperatoris Junioris, & Arnonis Episcopi Wirceburgensis; eum fatis functum anno 892. excepit

## EBBO ABBAS IV.

Is ad clavum Monasterii nostri sedebat Arnolpho, Ludovico, & Conrado Imperatoribus; Rudolpho, aut ut aliis placet, Dracholfo Episcopo Herbipolensi: Et sanè in maximæ felicitatis loco numerare poterat Ebbo, quòd in tempora incidit Episcopi tam pii, & erga Monasterium nostrum, quod ferè ad incitas redactum erat, tam munifici. Nam præter varios pagos multa prædia & vineas nobis liberaliter tradidit, Conrado Imperatore piam Episcopi liberalitatem non laudante modò, sed, edito super ea re diplomate, auctoritate Cæsareâ confirmante. Deinceps tamen insuper habitâ & Conradi Imperatoris & Dracholfi auctoritate bona Monasterii rursus variè distrahebantur; Imò eò demum res nostræ reciderunt, ut abhinc annis omnino octoginta, ad annum sci-



licet Christi 1001. Abbatia vacaret; nisi quòd unius adhuc Abbatis mentionem antiquissima monumenta faciant. Erat is

## TRAGULPHUS ABBAS V.

Quem anno reparatæ salutis 912. Monasterii nostri habenas tractasse ex pervetusto quodam Privilegio comperimus: Quâ autem ratione ad hanc dignitatem evectus fuerit, quàmque laudabiliter eam & præclarè gesserit, quo genere mortis & quando extinctus fuerit, obscurum est; hoc unum compertum habemus, illum, quòd magnâ apud Conradum Imperatorem gratiâ valeret, ex perditis bonis magnam copiam suo Monasterio recuperasse; quæ tamen sequentibus annis, pro summa temporum illorum calamitate rursus abalienata fuerunt.





## SÆCULUM II.

*Ab Anno Christi 915. ad Annum 1015.  
numerat Abbates duos*

Alboldum & Heribertum.

## ALBOLDUS ABBAS VI.

SÆculum 2dum auspicamur, quod Monasterio nostro neque secundum, neque auspdatum fuit: adeò enim misero loco hâc ætate illud fuisse accepimus, ut, cùm necessaria vitæ sustinendæ subsidia desideraret, per annos ferè octoginta squallidum jacuerit sine Abbate, & religiosa familia; dum tandem circa annum Christi 1001. regnante Henrico Imperatore ex tot tantisque calamitatibus emergeret præesse jussu Alboldo Abbate. Extremæ autem, quacum conflictabamur, penuriæ nostræ succurrit Henricus Wirceburgensis Episcopus, qui pro congenitâ sibi Comitum Rottenburgicorum in nos pietate ab Henrico Imperatore hujus nominis 2do literas exoravit, quibus facultates & bona à nostro Monasterio avulsa varièque distracta nobis denuò adjudicabantur, & antiqua Abbatia nostræ privilegia



legia auctoritate Cæsareâ stabilita fuerunt; usus ad hanc rem operâ D. Kunegundis pientissimæ Imperatricis. Alboldus Monasterio annis 12. aut, ut alii legunt, 13. laudabiliter præfuit, & piè obdormivit in Domino.

### HERIBERTUS ABBAS VII.

Alterum & sæculi hujus postremum Abbatem Monasterium habuit Heribertum, qui illius regimen anno Domini 1013. adiit, duorum duntaxat annorum spatio comprehensum. Sub ea tempora in urbe Wirceburgensi Monasterium S. Stephani Proto-Martyris, & alia Ecclesia SS. Petri & Pauli ab Episcopo Wirceburgensi Henrico extructa sunt.

### SÆCULUM III.

*Ab Anno Christi 1015. usque ad annum 1115. continent Abbates sex*

Waltherum, Wolffgerum, Eggebertum, Burckardum, Altmannum, Rupertum.

**A**Nnus Domini millesimus decimus quintus Monasterio nostro octavum Abbatem dedit, cui



cui Waltheri nomen erat; quamdiu ille hâc dignitate fulserit, in antiquis monumentis nostris controversum est; alia quippe annos 17., duos supra viginti præfuisse alia memorant; certum est Waltherum maximâ cum laude in hujus dignitatis luce versatum fuisse, & gesti officii anno octavo, Christi 1023. Ecclesiam Monasterii nostri à Meinhardo Episcopo Wirceburgensi solenni ritu dedicatam esse; uti quidem vetustissima Calendaria luculenter adstruunt.

### WOLFFGERUS ABBAS IX.

Walthero piè defuncto Wolffgerus successit anno Domini, ut vero simillimum est, 1033. & Monasterium annos 12. gubernavit, cum summâ suâ commendatione, tum rerum nostrarum maximo emolumento; ut enim plura alia missa faciamus, Oratorium S. Benedicti exstruxit non modicis sumptibus, quos ad Dei Cœlitumque gloriam bene expendi credidit: atque hoc opus Bruno Ecclesiæ Wirceburgensis Antistes ita probabat, ut ipse majorem illi splendorem addere solenni consecratione voluerit: asservabat illud magnam sacrorum lipsanorum copiam variorum  
Mar-



Martyrum, præcipuè caput D. Felicitatis unà cum reliquiis aliis auro & gemmis fulgido in loculo custodiebat; laudabilis ista pro augendo Cœlitum honore sollicitudo illius animum à Monasterii curâ nequaquam abstrahabat; quin potiùs in id toto pectore incumbere visus est, ut illius commodis ubique consultum iret; hunc in finem cum multa suscepisset confecissetque, tum summâ diligentiam libros complures, & hos inter historiam Ecclesiasticam describi curavit.

### EGGEBERTUS ABBAS X.

Omniùm, quos hucusque laudavimus, Præfulum unus felicissimus Eggebertus fuit ex Monacho S. Gorgonii Gratianopoli in Gallia, ubi famâ sanctitatis conspicuus erat, Monasterii nostri Abbas X. factus anno 1074. Eo demum tempore post tot persecutiones aram in Adelberone Episcopo Wirceburgensi, portum post tot tempestates gravissimas, quibus primo & secundo sæculo jactabamur, invenimus; utpote qui res nostras inclinatas adeò erexit, ut Secundum Fundatorem jure maximo dicamus & veneremur: præterquam enim, quòd Reverendissimus Præful  
Mona-



Monasterium nostrum à se rursus recens excitatum, redditibus liberalissimè instruxerit; Ecclesiam etiam nostram magnâ sacrarum reliquiarum copiâ locupletatam ann. 1074. ab obitu Meingaudi Ducis 260. in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & S. Felicitatis Martyris & 7. Filiorum ejus dedicavit. Imò, ut ne ulla in re quidquam Meingaudò Duci Conditori primo concederet, illius exemplo Eggebertum Abbatem unâ cum Monachis aliis ex Gallia evocavit, ut disciplinam monasticam, quæ temporum injuriâ penè conciderat, rursus erigerent. Adelbero hic anno Episcopatus sui quadragesimo secundo, meritis gravis, & virtutum splendore longè celeberrimus, in Bavaria extinctus, & terræ mandatus fuit. Eggebertus facturus satîs calentissimis votis Adelberonis hanc metam sibi unicè præfixam habuit, ut disciplinam religiosam repararet, reparatam sanctissimis legibus stabiliret; dum tandem anno Domini 1075. sanctâ morte ex hac vita decederet.

Ingratitudinis notam incurreremus, si insignibus Benefactoribus aliis, qui circa hoc tempus extiterunt, debitam laudem his in paginis non adjungeremus. Principem inter illos

C

locum



locum damus Hermannō Episcopo Bambergensi, Monasterii olim nostri Religioso, qui nobis & vineas complures, & prædia dono dedit, postea nostro in Monasterio sepultus. Hujus vestigiis insistebant Udalricus Præpositus Imperialis Ecclesiæ Bambergensis, Ludovicus de Castell, Ludovicus de Breid, Egenhardus de Zeletshausen; qui, dum erga nos id temporis tam misericordes fuerunt, misericordiam & ipsi fuerint procul dubio consecuti.

### BURCKARDUS ABBAS XI.

Successorem Eggebertus habuit Burckardum anno Domini 1076. virum pietate in Superos, charitate in inferiores, studio propagandæ Dei gloriæ, & administrandi ritè Monasterii insignem; ejus gubernacula tenuit annos 20. quibus elapsis viam universæ carnis ingressus est anno 1096.

### ALTMANNUS ABBAS XII.

Abbati duodecimo Altmanni nomen erat; qui anno 1096. ad hanc dignitatem evectus Monasterii sui salutem animo ità complexus est, ut præter commoda alia ab ipso nostrum in Monasterium profecta magnam præclarissimorum librorum




brorum copiam describi curaret. Ad illum Erlungus Episcopus Wirceburgensis ortâ inter cives seditione urbe & cathedrâ pulsus confugit, nostro deinceps in Monasterio humatus. Altmanus ætate & meritis gravis diem extremum obiit anno 1113.

## RUPERTUS ABBAS XIII.

Abbatis dignitate condecoratus fuit anno 1113. anno autem à suscepto regimine altero emit à comite de Gerlachshausen omnia ejusdem bona, eâ lege, ut ad mortem usque de necessariis vitæ alimentis Abbas noster Comiti provideret; certam singulis annis vini, cerevisiæ, carniûmque portionem subministrando: neque pænituiffe Comitem venditionis hujus indè colligimus, quòd Parochiam Gerlachshausen nostro Monasterio sponte suâ adjunxerit. Præterea tempora Ruperti Abbatis non parùm illustrat insigne miraculum, quod nostro in Monasterio contigisse annales perhibent. Hominem fuisse memorant à puero usu linguæ captum: is, dum pridie festi omnium Sanctorum Vesperas in Ecclesia decantari audiit, conceptâ subitò magnâ fiduciâ se in





genua abjicit, calentibus votis linguæ usum à Deo precatus; &, ecce tibi! carnis frustulum ex ore egerit, surgit, Magnalia Dei loquitur, præsentibus queisque audientibusque admiratione tanti miraculi defixis. Rupertus Abbas exactis cum laude 22. annis, ex quo in Abbatem creatus fuerat, migravit ad Dominum.

## SÆCULUM IV.

*Ab Anno Christi 1115. usque ad annum 1215.  
complectitur Abbates 9.*

Bopponem, Wolfframum, Theodoricum, Gumpertum, Sigenhardum, Gotswinum, Tragobertum, Gottfridum, Dietrimum.

### BOPPO ABBAS XIV.

**A**bbatum Sæculi hujus 4<sup>ti</sup> primus Boppo electus est anno 1135. Vir præstantissimis à natura ipsa ad gubernandum dotibus ità instructus; ut gravissimum sibi vulnus Abbatia inflatum fuisse senserit, dum eo adhuc anno morte præmaturâ illum extinctum esse vidit.

WOLFF-



**WOLFFRAMUS ABBAS XV.**

Annus 1136. Wolfframum ex Monasterio Hirsaugiensi postulatum, nobis præfecit, idemque Calendis Aprilis Wolfframum nobis eripuit: Vix ortum illum Abbatia suspexit, jam mortuum deploravit; communi id temporis fato, quo pestifera lues Germaniam propè universam depascebatur.

**THEODORICUS ABBAS XVI.**

Aliquantò diutiùs annis scilicet 5. Abbatiali dignitate Theodoricus conspicuus fuit; postquam hæc illi anno Domini 1137. communibus suffragiis collata fuerat: sed nihil ferè de illo memoriæ proditum habemus.

**GUMPERTUS ABBAS XVII.**

Electus anno 1142. septem annorum spatio cursum suum consummavit, idibus Maji anno 1149. ad Cœlestem Patriam evocatus, ibidem bene gestorum mercedem recepturus.

**SIGENHARDUS ABBAS XVIII.**

Ex quo Sigenhardus hujus dignitatis fastigium conscenderat, anno scilicet 1149. totus in



eo fuit, ut pristinum Monasterio & Ecclesiæ splendorem redderet: Eum in finem templum, quod ruinam minabatur, reparavit, Sacellum etiam D. Joannis honoribus supra Monasterii valvas exstruxit, ratus nihil ad officii sui partes ita pertinere, quam ædes Deo sacras vel à ruina vindicare, vel magis magisque exornare. Ad laudabile hoc studium instaurandæ Ecclesiæ accedebat grata quædam erga conditorum Benefactorumque nostrorum cineres pietas, & pia gratitudo, quæ Sigehardi animum eò induxit, ut in medio templi Sarcophagum lapideum excitari curaret, qui Meingaudi Comitis Fundatoris primi, & Ymæ Conjugis, Erlungi Episcopi Herbipolensis, Eggeberti & Burckardi Abbatum ossa custodiret; ad quorum societatem, ut piè confidimus, & ipse in Cœlesti Patria pervenit anno 1165. piè defunctus.

### GOTSWINUS ABBAS XIX.

Anno Domini 1165. creatus Abbas Gotswinus fuit, Antecessori suo zelo Religionis quàm simillimus: Templi enim nostri splendorem augere variis modis studuit; duo præcipuè altaria,  
alte-



alterum in D. Magdalenæ, in S. Agapiti Martyris honorem alterum excitando: Quæ altaria cæteraque zeli illius monumenta licet hodie destructa sint; optimi tamen Præfulis memoria nostris nunquam in animis oblitterabitur. Monasterium curæ suæ commissum habuit annis 14.; quibus elapsis piè in Domino obiit, anno 1179.


### TRAGOBERTUS ABBAS XX.

Magnam de se expectationem concitaverat Tragobertus, dum Monasterii nostri Abbas anno 1179. renunciatus est: & quidni à Viro præclaris queiscunque dotibus ornato optima quæque sperare jure potuimus? At ecce! non tam datus nobis Tragobertus, quàm ostensus fuisse visus est; anno quippe suscepti regiminis altero obiit.

### GOTTFRIDUS ABBAS XXI.

Secutus Tragobertum proximè fuit Gottfridus anno 1181., qui demandatam sibi gubernandi Monasterii provinciam annis duobus supra viginti laudabiliter administravit: decimam in  
Ost.






Ostheim Monasterio nostro rursus adjunxit, magnam pecuniæ vim jure hæreditario ad se pertinentem nobis dono dedit; quid? quòd etiam ipsius germana soror in Ecclesiam nostram admodum munifica fuerit; ut non abs re Gottfridum Abbatibus de Monasterio nostro optimè meritis accenseamus.

## DIETRIMUS ABBAS XXII.

Abbatum sæculi hujus seriem claudit Dietrimus anno 1213. Monasterio cum imperio impositus; quo Abbate licèt prospera Monasterio nostro tempora fluerent, funestis tamen Franconia fati jactabatur, quippe in quæ incidit Conradi Episcopi Herbipolensis tristissima cædes ab amicis propriis illata; cujus monumentum hodiedum extat in urbe Wirceburgensi excitata ad Summam Ædem columna eo ipso in loco, ubi patratum facinus fuit. Dietrimus extinctus est anno Domini 1220.





SÆCULUM V.

*Ab Anno 1215. ad Annum 1315. Abbates  
quinque.*

Heroldus, Simon, Rutgerus, Ar-  
noldus, Sigfridus.

HEROLDUS ABBAS XXIII.

**T**Empore Heroldi Abbatis, qui Monasterio  
nostro Abbas datus est anno 1220. turbari  
cepit quies Monasterii tumultibus, quibus etiam  
Urbs Wirceburgensis agitabatur; Cùm enim Co-  
mes de Henneberg, Boppo Bambergensis Epi-  
scopus unà cum Ruperto Comite de Castella  
inferrent Hermanno Episcopo Herbipolensi, hæc  
hostilis flamma etiam in oppidum Schwartzach  
grassabatur, plurimis Monasterii nostri ædificiis  
igne pariter absumptis: non tamen calamitates  
hæ nostræ ità catenatæ erant, ut læta tristibus  
non subinde succederent. Decisa est Prælati hujus  
temporibus insignis quædam controversia nostri  
cum Ebracensi Monasterii; & Fridericus ali-  
quis

D

quis



quis de Steinfeld jus Patronatûs, ut vocant, facelli Suntheim nobis liberaliter concessit, robore hanc donationem auctoritate suâ Dietherico Episcopo Herbipolensi; Heroldum anno 1232. ex mortali hac vita piè decedentem, altero mox anno 1233. secutus est

### SIMON ABBAS XXIV.

Vix gubernaculis Monasterii nostri admotus Simon fuit, animum continuò adiecit ad ædificia hostilibus nuper flammis absumpta rursus extruenda; quamvis bellici tumultus, quibus Cives Herbipolenses Episcopum suum implicabant, nondum compositi essent, quin quot diebus magis magisque invalescerent. Et perfecisset sinè dubio inchoatum opus, nisi vix elapsis in abbatiâli officio annis 15. requiescere à laboribus suis iussus fuisset anno 1248.

### RUTGERUS ABBAS XXV.

Restorationem Monasterii ab Antecessore inchoatam absolvere studuit Rutgerus Abbas hac dignitate ornatus anno 1248; quam quoad gessit, variis modis Monasterii sui utilitati consultum



sultum ivit; Illius quippe operâ & Monasterii & oppidi Schwartzach Advocatiam, ut dicimus, nobis adjudicavit Episcopus Herbipolensis. Denique Rutgerus allodium in Dettelbach à Comitibus in Castell, à nobili autem viro de Steinfeld 6. mansus illius bonorum in Bawlach emit cum tota decima, confirmante hæc omnia Honorio Papâ. Atque ut nihil omittamus eorum, quæ Rutgeri temporibus acciderunt; erat annus 1266., cum festo S. Cyriaci Hennenbergenses magnâ clade ab Herbipolensibus affecti fuerunt. Rutgerus postea anno 1271. è vivis excessit.

## ARNOLDUS ABBAS XXVI.

Videri poterat insignem Hennenbergensium cladem optata tranquillitas exceptura esse; sed, nescio quo fato, accidit, ut belli flammæ non modò non restinctæ fuerint, verùm etiam majores clades Schwartzaco nostro incumberent, Arnoldo Abbate electo anno 1272.: Cùm enim Henricus Castellensis antiqua quædam jura in oppidum Schwartzach prætenderet, juncta cum



Hennebergensibus signa in Schwartzacum verte-  
runt, incenderunt domos, devastârunt agros,  
omnia expilârunt, ex Monasterio pretiosa quæque  
asportârunt, Ecclesiam autem flammis absumpse-  
runt, Monasterium pariter in cineres redacturi;  
nisi Comes quidam Udalricus de Hanaw eorum  
se furori opposuisset, quos Bertholdus dein Episco-  
pus Herbipolensis Kitzingam inter & Schwartzacum  
horribili clade affecit. Calamitas hæc no-  
stra multos permovit, ut piâ liberalitate suâ no-  
stris mederi vulneribus studerent: Gertrudis de  
Zabellstein, ut multos alios missos faciamus, Ad-  
vocatiam in Gerlachhausen ab Yrwino Episcopo  
Herbip. illi oppignoratam nobis tradidit, Ber-  
tholdo & Andrea Episcopis Herbipolensibus con-  
firmantibus. Decessit ex hac vita Arnoldus 1290.

## SYFRIDUS ABBAS XXVII.

Ordine hoc in sæculo non meritis postremus  
fuit Abbas Syfridus Monasterio nostro anno  
1290. præfectus; imò præ multis aliis singularem  
mereri laudem videtur, propterea, quòd licèt Mo-  
nasterium illi traditum sit ære alieno oppressum,  
non solùm hæc debita expunxerit; sed nova etiam  
eâque



eaque complura nobis bona acquisierit: à Comite quodam Friderico de Castell Advocatiam in Farckendorff, Sommerach & villarum Nordheimensis, Stad-Schwartzacensis & Reuppeldorffensis unà cum molendino aliisque bonis, ab Henrico autem Comite bona omnia in Altenschönbach & advocatiam in Brunn emit; decimam etiam in Dettelbach temporum superiorum injuriâ à Monasterio alienatam recuperavit. Vitam finiit anno 1316.

## SÆCULUM VI.

*Ab anno 1315. ad annum 1415. Abbates 9.*

Joannes, Henricus, Conradus, Waltherus II. Waltherus III. Conradus II. Crafft, Crafft II. Casparus.

JOANNES h. n. I. ABBAS XXVIII.

SÆculo sexto initium facit Joannes, qui Monasterium regere cœpit anno 1316. usque ad annum



annum 1334, quo vitam cum morte commutavit. Habebat ille litem cum Hermanno & Eberhardo de Thynwald, quâ de sylva Lichtenwald disceptabatur, postmodum pia Eberhardi sylvam nobis ultrò offerentis liberalitate compositam: præterea Dimbacensem Ecclesiam hortante Wolfframo Episcopo Herbipolensi extruxit, qui & confirmatis omnibus privilegiis nostris Parochiam in Gerlachshausen, cujus jus Patronatûs, ut vocant, pridem ad nos pertinebat, Monasterio tradidit.

## HENRICUS ABBAS XXIX.

Secundus Monasterii nostri hoc sæculo Abbas Henricus fuit, pietate in Superos, intemperatam præprimis Dei Genitricem nulli secundus. Ex quo enim Abbatiali illum dignitate unanimis suffragiorum consensus ornavit, anno scilicet 1334., multa suæ in B. V. pietatis specimina dedit: Duos ex Monasterio nostro in Dimbach semper commorari voluit, qui Divini & Mariani cultûs officia ritè obirent; hos autem licèt extra Monasterii septa versantes, à disciplinæ religiosæ norma



norma neque in victu neque in vestitu discedere debere præcepit; pari pietate duas singulis annis ad locum hunc Processiones, ut dicimus, nostro ex Monasterio, alteram pridie Annuntiatae, in Vigilia Assumptae Virginis alteram duci mandavit. Monasterium Curæ suæ commissum habuit annis 5, anno 1339. viam universæ carnis ingressus.

### CONRADUS I. ABBAS XXX.

Quod in publica re accidere sæpe videmus, Cives, nullis hostibus urbium tranquillitatem perturbantibus, seipsos atterere & consumere; illud Conradi Abbatis temporibus nostro etiam Monasterio evenisse comperimus: Erat hoc omni hostium metu solutam, & optatâ pace fruebatur; &, ecce tibi! Sinon aliquis ex Religiosis unus, si tamen Religiosum eum dicere fas sit, tantas turbas concitavit; ut Conradi Abbatis dignitas & Monasterii salus in præsentissimum adducerentur discrimen. Ex arrogantia hominis, supremam in Monasterio dignitatem ambientis, mala omnia proficiscebantur; Monachorum partem alteram  
 suas



suas jam in partes pertraxerat, alterâ Conradum  
 fideliter sequente. Hinc animis Religiosorum  
 tam perniciosâ contentione distractis vix ullus re-  
 ligiosæ disciplinæ locus relinquebatur. Bona ab  
 utraque parte jam vendita, jam pignori data,  
 itâ distracta sunt, ut ad extremam Monasterium  
 penuriam redactum fuerit. Eripuit brevî Deus  
 ex tot tantisque Calamitatibus Conradum, elapso  
 trimestri spatio vitâ functum, præter multa alia  
 ob id singulari laude dignissimum, quòd Curiam  
 in Stadel-Schwartzach emerit; Sinone interim  
 ex Monasterio ejecto. Ejus temporibus statuen-  
 te sic Ottone Episcopo Herbipolensi Parochia  
 nostra à Parochia oppidi Schwartzach separata  
 est.

WALTHERUS II. ab Egloffstein,  
 ABBAS XXXI.

Compositis his tumultibus, Waltheram hu-  
 jus nominis 2dum caput suum & Abbatem Reli-  
 giosi designârunt anno 1342. 2do laudatissimi  
 regiminis anno pridie Magdalene Mœnus limites  
 suos egressus fata læta, boumque labores prostra-  
 vit :



vit; quin etiam disiectis pontibus Herbipolensi, Kitzingensi & Oxoviensi plurima agris, muris & molendinis damna intulit. Annum eundem alio eoque tristiori fato infestum habuit Waltherus. Frater Clericus Wiglinus de Nürnbergga, Diaconus, bacillo, quem manu tenebat, linum soli expositum vertendo, mulieres in tantum furorem egit, ut inconditis vociferationibus viros suos inclamarent, eos ad vindictam, atque adeò ad cædem juvenis concitantes; Quâ etiam illi mulierum querelis exasperati, in frugibus à cane inventum crudeliter affecerunt. Waltherus decimam in Detelbach Erhardo de Hirschhorn Canonico Herbipolensi oppignoravit, post aliquot annorum spatium recuperandam. Anno gesti officii II. piè decessit.

**WALTHERUS III. ab Egloffstein,  
ABBAS XXXII.**

Amisso Walthero 2do Waltherus III. Monasterio nostro Abbas datus est anno 1354., de quo duo notatu digna annales perhibent. Alterum  
E est,



est, quod æs campanum insignis magnitudinis Herbipoli fundi curaverit, in turri Templi suspensum; cujus exterior facies hos versus exhibuit.

Sum vas ex ære: tria nuncio: funera flere,  
Festa frequentari, nocuum tempusque fugare,  
Felicitas gaude tantâ dignissima laude!  
Jesus Nazarenus Rex Judæorum.

Alterum fuit, quod sylvam Lichtenwald Gottfrido de Weipfeld oppignorârit, eâ conditione, ut siquidem Monasterium eam intra 5. annorum spatium redimeret, rursus Monasterii esset.

**CONRADUS II. de Meynsfeld**  
**ABBAS XXXIII.**

De Conrado Abbate 33. de Meynsfeld dicto, cui annus 1363. Abbatialem dignitatem contulit, in monumentis nostris altum silentium est; nisi quòd VII. Idus Junii anni 1374. in vivis esse desiêrit.


CRAFF.



CRAFFTO de Buchenau,  
ABBAS XXXIV.

Eodem adhuc anno vacuum Abbatis locum occupavit Craffto de Buchenaw, Abbas 34., paulò post à subditorum Religiosorum aliquo hac dignitate privatus. Cùm enim hic fraudulenter assereret, literas sibi à Sede Apostolica submissas esse, quibus Monasterii Schwartzacensis cura sibi demandaretur, eo rem suam adduxit; ut 7. annis exulare nostro Monasterio Craffto debuerit: Elapso septennio fraus patuit. Expellitur, qui hanc sibi dignitatem per summum nefas arrogaverat, Craffto revocatur, qui deinceps Abbatem se præbuit promovendi Dei cultûs studiosissimum. Præterquam enim, quòd anteriorem Chori partem recens exstrui curaverit, summum Altare magnâ sacrorum ipsanorum copiâ locupletatum consecrari fecit; atque his operibus laudabiliter perfunctus, defunctus est anno 1393.





CRAFFTO II. de Bibera  
ABBAS XXXV.

Crafftō II. ut nominis sic & omnium Antecessoris sui virtutum hæres Abbas electus est anno 1394.; neque hæres virtutum modò, sed & ærumnarum. Simili quippe Hildbranni Zöllner Monachi cujusdam nostri fraude in exilium ejetus fuit; quod quidem fatum cum Gerharδο Episcopo Herbipolensi tum commune habuit, à propriis Civibus suis sede & urbe pulso. Quemadmodum verò Cives Herbipolenses ad Berchtheim magna clade affecti suo obtemperare Episcopo coacti sunt, ità & Crafftō post annos duos operâ Hildbranni de Thüngen regnante Venerabili Antistite de Egloffstein pristinam in dignitatem restitutus fuit. Imò nobilis ille de Thüngen adeò suam erga nos benevolentiam luculenter probavit, ut communi Fratrum consilio assentiente Episcopo totum Monasterium illius fidei & curæ committeretur, quod etiam laudabili illius studio & curâ magno debitorum onere, queis obstructum laborabat, solutum fuit.

CASPA-



CASPARUS de Schaumberg  
ABBAS XXXVI.

Carebat Præsule per annos aliquot Monasterium nostrum, dum Crafftoni anno 1413. Casparus de Schaumberg succederet; non quidem suffragiorum, sed Bullarum Pontificiarum vi. Erat ille primò Monachus Monasterii S. Burckardi, cumque videret Monasterium nostrum ad florentem statum excitari; unà cum multis aliis de obtinenda, autoritate Pontificii diplomatis, Abbatis dignitate contendit, adeò quidem feliciter, ut palmam competitoribus reliquis ipse præriperet. Nec malè consultum fuit hoc in Abbate Monasterio nostro saltem, si temporalium curam attendimus.





## SÆCULUM VII.

*Ab Anno 1415. ad annum 1515. numerat Ab-  
bates 8.*

Seyerum, Nicolaum, Joannem, Eckar-  
dum, Martinum, Michaëlem,  
Paulum & Georgium.

## SEYERUS ABBAS XXXVII.

**C**UM superioribus sæculis vel ab hostilibus  
copiis, vel ab externis plurima mala perpeffi  
fuerimus; sub sæculi hujus initium ab ipsis Præ-  
latis res nostræ afflictæ fuerunt; ac primò qui-  
dem à Seyero, priùs Monacho S. Burckardi,  
dein sacelli B. V. in arce præposito, qui cum  
non suffragiorum authoritate electus, sed per  
vim intrusus fuisset 1430. plurimarum turba-  
rum author fuit: neque pervicaciam hanc suam  
inultam tulit, primo suscepti regiminis anno le-  
prâ correptus. Quo die Seyerus obierit non  
constat in fastis Monasterii, videtur proinde  
ejus memoria unà cum corpore tumulo illata  
fuisse.

-UOES

E E

NICO-



NICOLAUS de Geiffenberg, h. n. I.  
 ABBAS XXXVIII.

Subrogatus Seyero anno 1431. Nicolaus fuit: neque hujus memoria, ut Antecessoris sui in benedictione est; præclarum nihil de eo in fastis nostris consignatum est, nisi, quod in parvo illius corpore mens excelsa, & rebus gerendis idonea habitârit; laudem verò istam, si qua tamen est, vel minuunt vel obscurant planè nimius in adornandis conviviis luxus, inque Cœnobii nostri bonis inter necessarios suos distribuendis summa libertas; indè enim præcipuè factum est, ut decoctis in hunc modum omnibus pecuniis bonorum nostrorum partem aliquam vendere, aliquam oppignorare debuerit, Monasterio interim nostro extremâ penuriâ laborante. Non tulêre fratres tantam Abbatis sui licentiam, justisque querelis suis ab Episcopo Herbipolensi obtinuerunt, ut dignitate hac suâ privaretur, quâ annis 17. ornatus fuerat. Postmodum excommunicationis fulmine percutus obiit.

JOAN-



JOANNES Wolffius à Carspach h. n. II.  
ABBAS XXXIX.

Nicolao deposito Joannem Wolffium à Carspach suffecere eligentium Vota anno 1444. qui ubi è superiore loco Monasterium sibi commissum accuratiùs nonnihil considerabat, præter Monasterii nomen in illo Sancti nihil, & in religiosis, plerisque nobilibus præter Vestem nihil religiosi deprehendit; adeò effraetis Monasticæ disciplinæ limitibus in omnem se illi vitæ licentiam effundebant, nullâ habitâ regularum ratione. Neque à Joanne Abbate emendabatur tanta Religiosorum, leges antiquissimas impunè violantium, libertas; Quare Godfridus Episcopus Wirceburgensis ad instaurandam Monasticæ Disciplinæ observantiam animum adjiciens è Conventu Fuldensi, qui ad S. Andream dicitur, cum ab antiquitate, tum à Religiosorum ibi degentium Sanctitate longè celeberrimo Viros pietate & literis insignes advocavit, qui suas ad id curas converterent, ut ad Cænobii sui normam Schwartzacense componerent. Veniunt illi, magnisque animis tantum opus aggressi

MAOL



gressi, summo & Episcopi Wirceburgensis & Ab-  
 batis Joannis gaudio in rectum tramitem, à quo  
 deflexerant hucusque, Schwartzacenses reducunt:  
 ad quam quidem reformationem non minimum  
 fecit, quòd inter nobiles & eos qui obscuriori  
 genere oriundi erant, par vivendi ratio habe-  
 retur, juxta legem Gregorii IX. Pontificis, qui  
 suam super eâ re mentem declaravit his ver-  
 bis: Non generis, sed virtutum Nobilitas vitæ-  
 que honestas gratum Deo faciunt, & idoneum ser-  
 vitorem; ad cujus regimen non multos secundum  
 carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles  
 & pauperes; eoquòd non est personarum acce-  
 ptio apud ipsum. Joannes anno 6to Abbatialem  
 dignitatem ipse deposuit præposituram Dimba-  
 censem deinceps administraturus; quo officio  
 annis 12. ritè perfunctus tandem anno 1462.  
 mortuus est, in domo Capitulari, quam exstru-  
 xerat, humatus.

**ECKARDUS à Rottenhahn,  
 ABBAS XL.**

Ex Lectissimis Viris, quos Conventus Ful-  
 densis ad S. Andream dictus Asceterio nostro  
 F sub-



submit, Eckardus Abbas electus fuit anno 1450. Vir spectatæ pietatis & rarissimis queisque Religiosi Præsulis dotibus ornatus. Æris alieni ab Antecessoribus conflati magnitudo, & bellum quod inter Joannem Episcopum Wirceburgensem & Marchionem Brandeburgensem Albertum gestum est, multas optimo Abbati curas & molestias faciebant; Marchio quidem Brandeburgensis magnâ peditum equitumque manu Vicina loca infestans, Monasterium flammis absumpsit, postquam illud ducentos avenæ modios, pagus Somerach autem florenos 500. Nordheim 200. hostili avaritiæ expendere debuit. His curis & laboribus fractus Eckardus supremum diem habuit Divo Michaëli sacrum anno 1466.

## MARTINUS ABBAS XLI.

Eodem adhuc anno Martinus natione Austriacus, ex Cænobio Ægidiano Norimbergæ ad nostrum translatus, Eckardum secutus est famâ pietatis & disciplinæ Monasticæ studio facile celeberrimus. Præterea recuperatis multis pagis, decimis, advocatiis & juribus, quæ temporum priorum iniquitas nobis ademerat, suis quasi è cineribus



ribus Monasterium excitavit; religiosorum numerum ad 50. personas auxit, inductâ observantiâ Bursfeldensis congregationis celebris, & ob tot præclarè gesta ab ipsa Sede Apostolica dignus iudicatus, quem insigni Mitræ ornamento coronaret. Obiit anno Domini 1494. 25. Febr.

**MICHAEL ABBAS XLII.**

Successor Martini Michaël Gerlocuriâ oriundus Monasterio nostro anno 1494. præesse cœpit; Campanam magnificam fundi curavit, quam postea unâ cum aliis Monasterii ornamentis rusticorum insurgentium furor injecto igne concremavit: anno administrati officii sui nono, onus hoc, cui diutiùs ferendo ob ætatis jam provectæ infirmitatem se non esse parem ultro fatebatur, deposuit, reliquos Vitæ dies sine negotiorum strepitu in quiete transacturus. Vix annus effluerat, ex quo sibi soli vivere cœpit, vivere desuit, anno Domini 1504.

**PAULUS ABBAS XLIII.**

Festo Conversionis S. Pauli Paulus Patriâ Detelbacensis Abbas inauguratus est anno 1503. cum Cellariam antea magnâ suâ commendatione

F 2

admi-



administrâſſet; annus regiminis 2dus Christi  
1505. Vitæ poſtremus fuit.

## GEORGIUS ABBAS XLIV.

Ab obitu Pauli Abbatis inter Georgium Fretz  
Priorem, Nicolaum Scholl Cellæ, & Nicolaum  
Unrufe Culinæ Præfectos, qui pari ſuffragiorum  
numero gaudebant, lis exorta fuit, quis e tribus  
aliis præferendus eſſet? neque tam facilè diri-  
menda fuiſſet illa, niſi Laurentius à Bibra Epiſc.  
Wirceb. in quo Conventus omnem ſpem diri-  
mendæ litis poſuerat, hanc rem compoſuiſſet, &  
Georgium Wolffsbach Coriarii Wirceburgenſis  
filium in Monasterio S. Stephani Profeſſum Ab-  
batem Monasterio impoſuiſſet. Huic Epiſcopi  
Wirceburgenſis Conſilio, licèt & inexſpectatum  
& ingratum Schwartzaceniſibus accideret, con-  
tendentibus ſuam mentem non fuiſſe, ut exter-  
nus præficeretur; pro ſua tamen erga Wirceb-  
urgenſes Epiſcopos ſemper habita reverentia Mo-  
naſterium noſtrum acquievit. Georgius ergo  
Abbatis inſignibus condecoratus gregis ſibi com-  
miſſi curam in ſe magno animo ſuſcepit, & quæ  
erat illius dexteritas in adminiſtranda re familiari  
planè



planè singularis, suorum ita utilitatibus consulebat, ut magnam debitorum partem, quibus obstructi erant, exolveret, expuncturus planè omnia, nisi rustici belli tumultus saluberrimis his consiliis moram iniecissent. Cùm enim agrestes hæ copię in Universam Germaniam male debacharentur, arces Principum & præcipuè Religiosorum cœnobia diripiendo, nostrum etiam Monasterium variis modis infestare cœperunt. Coëgit quidem Abbas Georgius consulto prius super ea re Conrado Episcopo omnes ad se subditos suos, eos perquam humaniter ad servandam pacem multis & gravibus verbis cohortatus; at emollire asperos animos non valuit; magno proinde agmine rustica turba Monasterium invadens clamore incondito non sinè minis gravissimis claves ad cellam Vinariam extorquet. Potatur; dum Vino obruti plerique per Monasterium protensi jacerent, cæteris intempestâ nocte januas effringentibus cum tanto religiosæ familiæ terrore, ut alii se per murum præcipites darent, alii mortis metu eorum se consortio aut fraternitati, ut dictitabant, adjungerent. Abbas ipse clàm se fugâ subduxit in Gerlachshausen positus prius







varia Monasterii jura & advocatias transferre decreverit, nisi idipsum sapientissimus Episcopus pro incredibili sua moderatione dissuadens monuisset: tueretur potius sollicitè antiqua sua Privilegia, se quidem Schwartzacensis Cœnobii de Ecclesia sua Wirceburgensi optimè meriti commodis pro Viribus suis magis semper magisque prospecturum. Georgius tot exantlatis periculis laboribusque felicissimam mortem oppetiit Calendis Maji anno 1535.

## SÆCULUM VIII.

*Ab Anno 1515. ad Annum 1615. ornatur ab Abbatibus 7.*

Joanne, Nicolao, Leonardo, Wolffgango, Joanne Burckardi, Joanne Krug, Joanne Martino.

JOANNES Büttner h. n. III.

ABBAS XLV.

**P**Rioris officium cum Summa Abbatis dignitate commutavit Joannes anno 1535. natus in pago



pago Nordheim, qui jam tum ad Monasterium nostrum pertinebat. De rebus ab illo gestis pauca constant. Feriâ 6tâ post festum S. Mathiæ Apostoli anno 1540. vitam hanc mortalem morte beatâ clausit.

NICOLAUS h. n. II.  
ABBAS XLVI.

Qui cum duobus aliis de summa in Monasterio nostro dignitate contenderat, Nicolaus Scholl Grafenrheinfeldensis Patriâ, eam denique unanimi suffragiorum consensu obtinuit anno 1540. sexagenario jam major, & Cellariæ in annum 26. administrator. Monasterium invenit ære alieno laborans; quare cùm ab Antecessore suo pecuniæ nihil ad delenda debita sibi relictum videret, invitus licèt Friderico cuidam Zölnern curiam Krautheimensem vendidit, maximo nostro damno. Ad quod aliud etiam incommodum accessit à nonnullis ex nostra familia & à subditis externis profectum; Illi quidem operam Abbati non fidelem præstitère, hi verò novis imbuti erant de religione opinionibus; unde factum, ut decimæ, non uti fas & æquum erat, exolverentur.

Veri-



Veritus eapropter Nicolaus, an solvendo annuo  
 censui esset; Episcopo Wirceburgensi Conrado  
 à Bibra reliquam decimæ Dettelbacensis utram-  
 que partem, totam decimam frumenti cum aliis  
 juribus vendidit undecim millibus & ducentis  
 florenis. Damna hæc, utût gravia erant, mala  
 longè acerbiora exceperunt in Schmalkaldico  
 præcipuè bello, cujus authores Elector Saxonix  
 & Hassiæ Princeps extiterunt. Ex horum co-  
 piis peditum equitumque triginta millia 1546.  
 26. Julii castris prope Monasterium fixis agros &  
 horrea frugibus, arcas nummis, cellas vino, do-  
 mos pretiosâ supellectile spoliârunt; furore isto  
 Schwartzacensis Asceterii tectis præsertim in-  
 cumbentè, cujus januas, fenestras, fornaces itâ  
 perfregerunt, ut, nullo commodæ habitationis  
 loco relicto, Wirceburgum ad S. Stephani con-  
 fegere cogeremur. Tumultibus istis composi-  
 tis Schwartzacenses lares cum suis Abbas revisit,  
 damnisque præclarâ suâ curâ refartis non multò  
 pòst festo Simonis & Judæ ex hac mortali vita  
 ad immortalem transiit anno 1551.

-ngilg G LEO-



## LEONARDUS ABBAS XLVII.

Successorem in officio Nicolaus habuit Leonardum, dictum Gnetzheimer, antea Monasterii nostri Priorem; non æmulatorem virtutum. Tamen si enim aliquam de se in aliorum animis concitasset virtutis opinionem, huic tamen, ad Abbatis dignitatem euectus adeò non respondit, ut quàm cupidè priùs illum sibi præfici postularent, tam ardentè hac illum dignitate exui deinceps peroptarent: & quidni peroptassent? Desiderabant exulceratis illis temporibus, dum Confederati Principes Albertus Saxonix & Albertus Marchio Brandeburgensis Cæsari arma inferentes, in via Augustam Vindelicorum versùs Monasterium unà cum subjectis pagis atrociter vexabant, Abbatem rei familiaris tuendæ studiosissimum; qualem se quidem Leonardus non præbuit; ut inde colligere pronum est: Monasterii gubernationem aggressus est necessariâ rerum omnium copiâ instructissimè; Visitante verò illud Reverendissimo Principe Wirceburgensi Melchiore adeò misero loco fuit, ut nulla numeraret pecora, extremâ frumenti, vini &c. penuriâ laboraret. Quædamna cum ex sola Abbatis negligèn-



gligentia oriri intelligeret Melchior ( simul quod justissimæ Religiosorum contra Abbatem querelæ accederent, quem conflâsse magna debita, & bona multa vendidisse ægrè ferebant ) Leonardum loco motum suam in arcem primùm, dein in Monasterium S. Stephani transtulit; ibi biennio commoratus Abbatiam Auracensem ad Salam fluvium obtinuit à Friderico Ep. Wirç. rursus ab hoc officio paulò pòst amotus in Monasterio S. Jacobi Scotorum extra urbem degere jussus, ibidem fatis defunctus est.

WOLFFGANGUS Zobellus  
ABBAS XLVIII.

Wolfgangus Zobellus *Tubaro - Röttingensis* Leonardum secutus est 1556. pridie Joannis Baptistæ, eò præclarioribus ad sustinendam hanc dignitatem dotibus ornatus, quò plures in ejus Antecessore desiderabantur. Corpus quidem infirmum & debile, mentem excelsam nactus erat; cùmque disciplinæ religiosæ ipse studiosissimus esset, ad amplectendam illam gregem subditum nullo pene negotio permovit. Magnam debitorum, quæ Leonardus patrimonii S. Felicitatis in-

oroll

G 2

felix



felix decōtor, conſlârat, partem exolvit, & redemptâ à Nobilibus de Wichſenſtein decimâ in Kieſenbach, domum pro infirmis loco commo-  
 exſtruxit. Præterea intelligens Wolffgangus Ab-  
 batem Langheimenſem Fridericum ægrius laturum eſſe, oppignoratam decimam & cenſus in Eſcherndorff & Oſthem redimi; Bonorum iſtorum uſumfructum Georgio Ludovico à Seinheim conceſſit, ſuâ ut operâ & auctoritate bona iſta recuperaret. Quod etiam præſtitit; anno Chriſti 1563. ætatis ſuæ quadrageſimo Wolffgangus paralyſi tactus ex hac vita deceſſit.

JOANNES Burckardi, h. n. IV.  
 ABBAS XLIX.

Conceptum ex Wolffgangi morte dolorem brevi abſterſit auſpicatiſſima Joannis Burchardi Weiſſenburgenſis Norici electio; in quo, quidquid in Wolffgango amiſerat, cumulatè Monafterium recepit, Abbatem numeris omnibus abſolutum: Electus an. ætatis 26. feſto S. Joannis Baptiſtæ Abbatis inſignibus condecoratus fuit A. C. 1563. Quoad vixit, Præſulum laudatiſſimorum veſtigiis inſiſtens multa fecit, ex quibus & illi & Monafterio



sterio nostro magnus splendor accessit. Reliquâ debitorum parte solutâ controversiam cum Abbate Langheimensi, cujus mentio superius facta est, feliciter composuit; & præter ædificia alia complura à se vel recens excitata vel reparata, templo variis rarissimisque picturis illustrato turrim ære campano instructam imposuit; redemptâque domo Dettelbacensi oppignoratâ, Parochiis pagorum nobis subjectorum de redditibus multò amplioribus liberaliter providit. Quâ dexteritate sua planè singulari cum pari pietatis fervore conjunctâ tantam sibi ubique famam collegit, ut unus dignissimus habitus fuerit, cui cura Monasterii Banthensis ad pristinum fervorem & decus reducendi committi posset. Suscipit ille hanc in se curam magno animo, & continuò tyrones 12. lectissimos partim Wirceburgum ad perdiscendas humaniores literas in scholis PP. Societatis JESU, partim Schwartzacum ablegat, ut cum liberalibus disciplinis scientiam Sanctorum maturè addicerent, ratus, Cœnobii sibi commissi salutem à se meliùs prospici non posse, atque si tyrones in eo & virtutibus & literis exculti adolescerent; qui deinceps confirmatâ ætate spiritum, quem juvenes



hauserunt, in alios derivarent; dùmque sic Reli-  
 giosos bene efformandos alio miserat, ipse tem-  
 plo & Monasterio novum accersere splendorem  
 variis modis allaborabat; Deo præclara hæc opti-  
 mi Præfulis studia mirâ bonorum temporalium  
 accessione remunerante. Nam primò vidua Seba-  
 stiani cujusdam ex antiqua & equestri Fulbachia-  
 na familia ultimis tabulis suis insignem bono-  
 rum suorum portionem legavit, Joanne Abbate  
 nonnisi 7. florenorum Rhenanorum millia pen-  
 dente. Tum verò ab obitu nobilis Matronæ Cor-  
 dulæ à Lichtenstein ex gente Cunctadiana domi-  
 cilium in Buch cum decimis in Zilgendorff & Bu-  
 chenroth Monasterio adjunctum est. In nu-  
 merata etiam pecunia, septies mille & trecentis  
 florenis prædium Hebendorffense cum Sylva  
 Umersbergica ab Episcopo Wirceburgensi emit;  
 ut de decimis in Hayred de variis pratis & simili-  
 bus nihil dicamus; pro quibus beneficiis ut se Deo  
 bonorum omnium largitori gratum præstaret,  
 perpetuam in Altenbantz eleemosynam in paupe-  
 res subditos erogandam statuit. His laboribus  
 perfunctus Joannes, quò divinis se obsequiis to-  
 tum dare posset, novum sibi Abbatem subrogari  
 ab



ab Episcopo Wirceburgensi enixè petiit, qui tamen non modò hoc eum onere non levare voluit, sed Monasterium ad S. Stephanum pariter administrandum commisit an. 1590. Tam magnificè de Joannis pietate, sapientia, dexteritate sentiebat. Licèt tamen ille tam diversis curis distractus esset, Schwartzaci tamen sui potissimam semper rationem habere visus est: Ecclesia Dimbacensis splendè reparata, census Sommeracenses & alii vel acquisiti vel permutati, vineta in Marchia Astheimensi pariter permutata id abundè testantur; colligimus etiam ex eo, quod Schwartzaco discessurus ad Monasterium Banthense magnam lacrymarum copiam profuderit, crebrò affirmans, ægerrimè se à Schwartzaco avelli. Intellexit fortassis etiam jam tum mortem sibi esse in insidiis, ad quam quidem variis pietatis exercitiis, crebrâ sanctissimorum Sacramentorum susceptione, & assiduâ lapidis sepulchralis, quem sibi vivo parari curaverat, consideratione quàm diligentissimè præparârat; vix enim Banthum tenuit acutâ mox feбри corripitur die 14. Januarii 1598., qua subin Medicorum solertiâ levatus, catharro suffocativo demum opprimitur die 26. Januarii, cùm Monasteriis



steriis Schwartzacensi annos 34. & menses 8. Banthenfi 25. annos, ad S. Stephanum 8. præfuisse. Funus à Bantho Dimbacum defertur, ibique à Conventu Schwartzacensi exceptum Schwartzaci terræ mandatum est.

JOANNES Krug, h. n. V.  
ABBAS L.

Joanni Burchardo pientissimè defuncto alium Joannem substituit Conventus Schwartzacensis cognomento Krug an. 1598. Præter exornatam splendidè Ecclesiam & Parochias amplioribus redditibus instructas, Abbatiam cum Cellaria in Somrach recens exstruit, magnâ insuper vestium sacrarum librorumque copiâ ad Templi & Bibliothecæ splendorem coëmptâ; Julio Episcopo Wirceburgensi perquam charus fuit, qui etiam Joannis operâ in gravioribus negotiis utebatur; Monasterio ad S. Stephanum Wirceburgi non mediocrem debitorum summam ultrò remisit, Abbate Kiliano, & Vito Behringer Priore, totóque Conventu collatum sibi hoc beneficii genus tanti facientibus, ut literis festo S. Jacobi Apost. 1605. datis, quibus Abbatis & Conventûs insignia appensa



penſa erant, perpetua Hospitalitatis, ut dicunt, officia nobis ſponſoderint. An. 1613. Anteceſſorem ſuum in cœleſtem patriam, ut piè confidimus, ſecutus eſt.

**JOANNES Martinus h. n. VI.**

**ABBAS LI.**

Totidem annos pari cum laude Abbatiam adminiſtravit Joannes Martinus; præcipuè profuſa illius in pauperes liberalitas verbis exprimi vix ſatis poteſt. Electus an. 1613. defunctus eſt anno 1628.

**SÆCULUM IX.**

*Ab Anno 1615. ad annum 1715. habet Abbates octo,*

Joannem Caſſianum, Nicolaum, Sylvanum, Remigium, Benedictum, Placidum, Auguſtinum, Bernardum.

**JOANNES CASSIANUS Speiſſer,**

**ABBAS LII.**

**A**bbatum in nono hoc ſæculo agmen ducit Joannes Caſſianus, Oxovius patriâ, ad S.

H

Udal-



Udalricum Augustæ Vindelicorum Professor, electus 1628. Antequam ille Monasterio nostro præesse cœpit, Abbas Scotorum Wirceburgensium id administrabat, Schwartzacensibus quidem administratorem suum adeò non probantibus, ut copiam sibi fieri petierint, alium Abbatem creandi. Admotus igitur gubernaculis Cassianus Prælati optimi partes ritè explevit, dum belli Suecici tumultus ingrueret, qui religiosos ad unum omnes, alios aliò fugere compulit, solo Patre Engel annis gravi domo remanente. Habitus is durè à Suecis fuit, & cruciatuum, quos Venerabili Seni acerbissimos intulerunt, vi eò adductus, ut pretiosa quæque templi & Monasterii suppellectilia in cryptis condita avaro militi proderet. Profligatis deinde à Casariano exercitu Suecorum copiis Patres in varia loca dilapsi Schwartzacum repetiêre, non sine exortis inter illos discordiis, cui, absente Prælato, Monasterii administratio magis comperet; donec reversus ad suos Abbas illas composuit. Ex quo ad sua Cassianus rediit, mirè eum dilexit Princeps Hatzfeldius, qui & Monasterii Scotorum Wirceburgi curam illi clementissimè demandavit. Acutis Podagræ doloribus & variis



variis calamitatibus jactatus portum æternæ beatitudinis adivit anno 1640.

**NICOLAUS Molitor h. n. III.**

**ABBAS LIII.**

Inauguratus est anno 1640. mense Septembri; eodem anno præmaturâ morte extinctus quarto idus Decembris. Accusatus est mulierculæ cujusdam malitiâ tanquam violati sigilli sacramentalis reus; in carcerem etiam ducendus Wirceburgum, nisi detectâ calumniâ Abbatis integritas constisset.

**SYLVANUS ABBAS LIV.**

Sylvanus Speth Nüdlingensis Wirceburgi in Monasterio S. Stephani Abbas Schwartzacensis renunciatus est, contrâ atque Vitus Godefridus à Werdenau, Summæ Ædis Decanus, qui cum Reverendissimo Suffraganeo & Fiscali vota recipiebat, optaverat; electio hæc multis aliis planè inexpectata visa fuit, propterea quòd Sylvanus antea semper ferè obscurus jaceret omnis Prælationis osor acerrimus; ùt quidem laceræ vestes, quibus indutus erat, & multa alia indicabant: præterquam quòd naturæ justo timidioris esset. Protra-



ctus ergo ex umbra in lucem ex Pago Some-  
rach, cujus Parochum diu laudatissimum egit,  
ad Dignitatem tantam evectus, cœpit continuo  
præclaris Antecessorum suorum vestigiis insistere,  
nihil omittendo eorum, quæ cum Monasterii  
commodis conjuncta esse videbantur. Ex suis  
nonnullos Bambergam misit literis informandos,  
acturus multò plura, nisi elapso ab inauguratione  
quinquennio 19. Martii 1646. vivere desisset.

### REMIGIUS Winckler ABBAS LV.

Natus erat ille Remigii loco ad Mosellam  
haud procul Luxenburgo sito, Parentibus non  
obscuris: amplexus religiosæ vitæ institutum sub  
regula S. P. Benedicti in Monasterio Münster di-  
cto prope Luxenburgum, adeò se se supra alios  
virtutum studio efferre visus est, ut duobus Mo-  
nasteriis Sponheimensi & Bergensi præesse jussus  
fuerit. Accidit subin, ut à Calvinistis captus  
cum cane ad currum alligatus abduceretur; li-  
beratus autem captivitate tam barbarâ Parochiam  
in pago Steinheim Diceceseos Moguntinæ admi-  
nistrabat, eâ quidem solertiâ, ut Philippus Er-  
winus à Schönborn Reverendissimi ac Celsissimi  
Prin-



Principis Joannis Philippi id temporis Episcopi  
 Wirceburgensis, postea Archiepiscopi Moguntini  
 & Episcopi Wormatiensis germanus frater & pa-  
 gi Steinheimensis Archi-Satrapa Remigium Re-  
 verendissimo ac Celsissimo Episcopo Wircebur-  
 gensi mirum in modum commendaret. Fecit  
 ea res, ut cum defuncto Sylvano novus Abbas  
 subrogandus esset, neque tamen ex Conventu  
 Schwartzacensi oneri huic ferendo quisquam  
 par esse judicaretur: aliis jam senio fractis, aliis  
 admodum juvenibus: Joannes Philippus Reve-  
 rendum Parochum Steinheimensem sibi à Ger-  
 mano D. fratre mirè laudatum, & duobus jam  
 antea Monasteriis Præfectum Schwartzacensibus  
 commendaret. At illi administratorem Cœnobii  
 sui, non Abbatem Remigium habere maluerunt.  
 3. mensibus & medio versatus in hoc officio Re-  
 migius pietatem suam, solertiam, dexterita-  
 tem ità omnibus probavit, ut in illius electionem  
 die 7. Augusti anni 1646. omnes concederent.  
 Remigius continuò lectissimos variis è locis vi-  
 ros accersere, qui exemplo suo ad religiosæ vitæ  
 studium reliquos excitarent; in admittendis ty-  
 ronibus potissimam pietatis & ingenii rationem  
 habere



habere, præstantiores è suis ad Universitates celeberrimas ablegare, paucis, in Monasterii sui utilitatem, toto, ut ajunt, pectore incumbere.

Belli Suevici tempestatem aliis præ timore aliò fugientibus in Monasterio solus sustinuit, congenita sibi comitate & linguarum peritiâ efferatos Suevorum animos ita emolliens, ut à Ducibus plus vice simplici tutelam sacris ædibus suis obtinuerit; quamvis nec ab expilatione Monasterium, nec aliquam ædificiorum partem ab incendio vindicare potuerit. Compositis tumultibus bellicis de novis incolis (priores etenim in varias terrarum plagas dispersi vitæ consulendum suæ putârant) pagis sibi subjectis providere, conflato ære alieno se liberare, organum templi reparare studuit, inter præclara hæc studia Podagræ doloribus & morbis aliis acerbè vexatus adeò, ut anno 1654. in Dünstein proficisci necesse haberet, acidulas potaturus. Unde cùm confirmatâ utcunque valetudine reverteretur, Steinhemii ad P. Gualbertum O. S. Benedicti in Seeligenstatt professum pro more divertens catharro opprimitur, & ingravescente malo extremis morientium Sacramentis ritè munitus die 9. Augusti 1654.  
piè



piè obiit & in Ecclesia Parochiali Steinheimensi ante lapidem Baptistalem humatus est, Reverendissimo Domino D. Leonardo Abbate Seeligenstadiensi iusta eidem funebria persolvente. Septimo post anno Benedictus ejus Successor in Ecclesia Schwartzacensi hoc ei Epitaphium posuit:

Anno 1654. 9. Augusti obiit Reverendissimus ac Amplissimus D. Remigius Winckel Proto-Notarius Apostolicus sacrosanctæ Theol. Licent. hujus Monasterii Abbas LV. Cujus anima Deo vivat. Amen.

In medio lapidis.

Hic natus Remichii, denatus Steinhemii,  
Ubi & conditus jacet, ætatis suæ 50.

Dum bellicosis temporibus ab anno 1646. in  
ann. 54. laudabiliter huic Monasterio  
præfuisset.

Silentio nequaquam involvenda est, summa Reverendissimi ac Celsissimi Principis Joannis Philippi dein Archiepiscopi Moguntini & Episcopi Wormatiensis gratia, quâ prædictum Abbatem & Monasterium nostrum prosequebatur, illud crebrò  
invi-



invilere, & ibidem prandere clementissimè dignatus.

## BENEDICTUS II. ABBAS LVI.

Extincto Remigio Præfectus Monasterio nostro fuit Benedictus II. dictus Weidenbusch Registrariâ oriundus, Frater Clericus annis 22. nondum expletis; altero ab electione anno & dignitate sacerdotali & Abbatis insignibus condecoratus fuit. A Remigio studiorum causa Coloniam Agrippinam missus magnam sibi & solidæ pietatis & raræ doctrinæ famam collegit, ut quidem abundè testantur testes literæ, quibus abeuntem illum Ægidius Monasterii S. Pantaleonis Abbas prosecutus est; ut proinde mirum non sit, quòd illi Juveni etiamnum summa Abbatialis dignitas collata fuerit, convenienter illis S. P. Benedicti statutis, de ordinando Abbate ita præcipientis: Vitæ merito, & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in congregatione. Et sanè brevè palàm fecit omnibus, quàm esset hac prærogativâ dignus, siquidem pietatis & sapientiæ ratio habenda fuit. Pietatem ejus inde, ut multa alia missa faciamus, colligimus,



gimus, quòd anno 1657. in Cæna Domini post peracta Missarum solemnia primus se ad 12. pauperum pedes abiciens, lotis & magnâ animi sui voluptate terfis pedibus, pastos illos, & muneribus recreatos à se dimiserit: sapientiam demonstrat incensissimum illud studium Religiosos suos omni eruditionis genere excolendi; quorum alii in Conventu Schwarzacensi, alii in Universitatibus Wirceburgensi & Coloniensi Theologiæ operam dabant, tam laudabili ubique profectu, ut Thesis publicè propugnatis Sacrosanctæ Theologiæ Doctorum Insignia referre meriti sint; Quin, quod jure mireris, Benedictus ipse Theologiæ arcana explanare domi, in Aula Wirceburgensi Disceptationibus Eruditorum interesse, quoad per vires licuit, frequentissimè solebat, omnibus ubique morum in illo suavitatem, & eruditionis præstantiam deprædicantibus. Subin infirmitatibus variis tentari cœpit, quibus in Hæcticam desinentibus catharro denique oppressus die 14. Augusti spirare desiit, eo ipso die, quo veste religiosâ primùm indutus, & per solennem Professionem Deo adstrictus fuit, anno Christi 1672. ætatis 40., regiminis 18., Sacerdotii 16., dignus longiore vitâ, nisi pro cælo jam fatis tum laborasset.



## PLACIDUS ABBAS LVII.

Placidus, cognomento Büchs, patriâ Münerstadianus ex Parocho Someracensi Abbas Monasterii factus. a. 1672. altero regiminis anno 30. Apr. solenniter inauguratus est. Oeconomix sedulam operam navans debitis multis Monasterium liberavit, magnâ insuper pecuniæ vi pro Bibliotheca sacrâque suppellectile expensâ; Præclariora, quæ animo jam conceperat, consilia Gallicus miles interturbavit à Rheno inferiore terris nostris imminens, cujus adventantis rumor Placidum compulit in tutiora se loca recipere, factâ etiam facultate religiosi, quem quisque securissimum nôset, locum inquirendi. Profligatis subinde Gallis pabulatores Cæsarei Abbatix nostræ pagos, duobus exceptis, expilârunt; Monasterio securitatem suam magnis sumptibus redimente; ad quod Placidus Cæsarianis ad Rhenum inferiorem descendentibus 23. Septembris rediens exactissimam servari disciplinam curavit, rei domesticæ commodis parem operam navans, quam tamen augere non admodum potuit ob nimias Cæsarianorum exactiones, queis unâ hyeme 16. plaustra vini



vini dare cogebatur. Adversa hæc magno animo semper Placidus excipiebat, quibus frangi adeò illius constantia non potuit, ut cum iis ipsis diebus, quæ quinquè tyrones advenerant, tria horrea frumento plena funesto incendio perirent, eos tamen contra plurimorum aliorum sententiam retineret; ratus, non defuturam esse Dei Clementiam speranti in se; neque sanè defuit illa optimo Præfuli: quo enim pacto aliàs & horrea ista recens excitare, & omni ære alieno Monasterium liberare, & tam splendida Someraci & Nordhemii ædificia exstruere valuisset? nisi divina Providentia variis modis Placido opitulata fuisset, dando præcipuè Petrum Philippum Episcopum Wirceburgensem, qui Placidum in literis ad eum frequentissimè datis suum nuncupare Consiliarium, & illius Monasterii rebus prodesse omni modo solebat; Cæterum lecto diutissimè sæpe affixus æquè multa pati debuit, atque agere firmâ valetudine potuit; donec tandem annus 1691. Calendis Januarii patiendi vivendique finem faceret, quo placidè exspiravit.

**AUGUSTINUS ABBAS LVIII.**

Dies 25. Januarii anni 1691. Augustinum cognomento Voit Gerlocuriâ oriundum Placido



suffecit, Parochi Someracensis duodennio, quinquennio Prioris officio perfunctum; 5ta verò Augusti anni ejusdem sub auspiciis B. V. M. ad nives, operâ Reverendissimi Suffraganei Stephani Weinberger solenniter Benedictum Abbatis Insignibus condecoravit. Ecclesiâ primo suscepti regiminis anno 6., candelabris argenteis, Calice pretiosissimo, Casulis auro intextis, Pluviali, Infulâ Pedóque & multis aliis exornatâ, Bibliothecam præclarissimis libris auxit, multa præcipuè antiqua Documenta Suevici belli tempore ad Archivum Wirceburgense translata eidem, Consentiente Celsissimo Principe reddens: ut se literarum Mecænatem probaret ex Monasterio Neostadiensi Eximium P. Henricum Heinlein Professum in Theres, ac quondam in Celeberrima Salisburgensium Universitate Professorem Schwartzacum advocavit, Philosophiæ arcana suis explicaturum; alios in Universitate Wirceburgensi sublimioribus studiis operam navare jubens. Denique ad Novi Monasterii exstructionem animum adjiciens, magnam partem perfecit, absoluturus planè, nisi morte impeditus fuisset, quam die 27. Augusti anno Domini 1704. placidissimè obiit anno ætatis 63. Professionis 39. Sacerdotii



37. regiminis Abbatialis 13.; Illud præcipuè Augustino magno honori vertitur, quod Reverendissimi ac Celsissimi Principis Joannis Philippi de Greiffenclau solennissimæ Consecrationi assistere debuerit.

## BERNARDUS ABBAS LIX.

Dictus Reyder, clarissimis Sternbergæ parentibus natus, die 4. Septembris anni 1704. electus, in Arce Mariana à Reverendissimo ac Celsissimo Principe Joanne Philippo confirmatus, die 1. Novembris ab eodem in Ecclesia Universitatis solenniter benedictus fuit. Cura illius planè singularis pro re literaria augenda ornandaque; profusa in hospites liberalitas, summa erga pauperes benignitas, quibus magnâ illâ annonæ caritate, quâ id temporis plebs laborabat, 60. supra 100. frumenti maldera singulis annis erogabat, maximis infimisque charum fecêre, deinde obitum illius communi luctu prosequentibus. Die 2. Februar. anni 1717. ægrotare incepit, morbo medicamentis nequicquam proficientibus in tympanitidem desinente; ex qua an. 1717. ætatis 65. religiosæ Professionis 46. Sacerd. 41. regiminis 13. obiit.



## SÆCULUM X.

*Ab Anno 1715. inchoatum numerat Abbates duos,  
Januarium & Christophorum.*

## JANUARIUS ABBAS LX.

**P**ost gesta laudabiliter varia officia, Sacrosanctæ  
Theologiæ Lectoris, Cancellariæ Directoris,  
Magistri Novitiorum, Prioris, & triennio Paro-  
chi in Stadel-Schwartzach summo omnium gau-  
dio Abbas electus est Januarius dictus Schwab,  
Gerlocuriâ oriundus, electus die 4. Maji a. 1717.  
confirmante Reverendis. ac Celsis. Principe Jo-  
anne Philippo, Reverendissimo Domino Bernar-  
do Episcopo Chryfopolitano, Reverendissimi ac  
Celsissimi Episcopi Wirceburgensis Suffraganeo  
Neo-Electum solemniter benedicente. Regimen  
suum auspicabatur à sedula animorum & ad pie-  
tatem, & ad eruditionem cultura; Disciplinæ re-  
ligiosæ vigorem restaurando, & ad Universitatem  
Wirceburgensem multos ablegando, qui præter  
insignem doctrinam Doctorum etiam honores  
retulerunt: tum ad absolvendam Monasterii fabri-  
cam, quæ ab Augustino p. m. Abbate cœpta, per  
annos quatuordecim omissa erat, curam suam  
con-



convertens primam manum operi 8. Martii anno 1718. adjecit, octo annorum spatio tam feliciter perfecto, ut interim nec à sua in pauperes liberalitate, quibus ultra centum frumenti maldera erogabat, nec à laudabili hospites benignè accipiendi studio remitteret. Accidit tum 36. humatorum ibi Abbatum & Religiosorum corpora, & solidos duos aureos anno 1691. cusos, insignia Moguntinum & Trevirense referentes inveniri; ex quo plebs fingendi occasionem arripuit, ingentem thesaurum à Januario inventum fuisse. Lætatus tam felici successu Januarius ad extruendam splendidissimè novam Ecclesiam animum ad-jicere cœpit, à quo proposito licèt sumptuum expendendorum magnitudo omnes deterreret, Januarius absterreri non potuit. Aggressus igitur magno animo tantum opus, Deo propitio Ecclesiam excitavit amplitudine suâ, altarium frequentiam artis & sculptoriæ & pictoriæ raritate augustissimis Basilicis jure comparandam; in qua ipse anno 1741. primo Missæ sacrificio peracto editæ Professionis Jubilæum celebravit; Ita votorum suorum compos factus dissolvi optans & esse cum Christo, anno Christi 1742. ætatis 74. Religiosæ Professionis 51. piè defunctus.

CHRI.



## CHRISTOPHORUS ABBAS LXI.

Laudatissimum regimen suum aggressus est Christophorus, cognomento Balbus, patriâ Volcacensis die 19. Junii 1742. Illius initia perquàm gloriosa facit solennis Ecclesiæ Schwarzacensis consecratio; quam 8. Septembr. festo Natæ Virginis anni 1743. Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps FRIDERICUS CAROLUS D. G. Episcopus Bamberg. & Wirceburgensis, F. O. D. impertiri dignatus est. Suâ hanc solennitatem præsentîâ & operâ pariter illustrabant Reverendissimi Perillustres ac perquàm Gratosi DD. Suffraganei Bambergensis & Wirceburgensis; ex quibus ille altare in S. Benedicti, & aliud in honorem S. Scholasticæ, & aliud in honorem B. V. M. ab Angelo salutatæ initiavit; assistentibus semper lateri Reverendissimi ac Celsissimi Consecratoris Reverendissimis, Perillustribus ac Amplissimis DD. Abbatibus Ebracensi, ad S. Stephanum Wirceburgi, Therensi, ad S. Jacobum Wirceburgi, Præposito in Heydenfeld, ac Abbate loci.

Quàm gloriosa sunt hæc regiminis tui auspicia, Reverendissime, Perillustris ac Amplissime Domine D. CHRISTOPHORE! tam diuturnum illud tibi cum religiosa familia fideles subditi apprecantur.





# NOMINA ABBATUM,

Qui ex alienis Monasteriis ad Abbatiam in Schwarzbach vocati sunt.

**B**ENEDICTUS I. Abbas primus Schwartzac. cum II. Monachis vocatur ex Gallia anno 815.

**M**ADELBERTUS Abbas II. Schwartzac. itidem ex Gallia anno 843.

**E**GGEBERTUS Abbas X. Schwartzac. ex Monasterio S. Gorgonii Gratianopoli in Gallia postulatur anno 1047.

**W**OLFFRAMUS Abbas XV. Schwartzac. ex Monast. Hirsaugiensi postulatur anno 1136.

**T**HEODORICUS Abbas XVI. Schwartzac. ex præfato Monast. Hirsaugiensi Ducatûs Wirtenbergici postulatur anno 1137.

K

CA.





CASPARUS de SCHAUMBERG Abbas XXXVI.  
ex Monasterio ad S. Burchardum Herbipoli  
anno 1413.

SEYERUS Professus ad S. Burchardum Herbip.  
ab Episcopo Herbip. Joanne de Bronn intru-  
ditur in Schwarzbach Abbas XXXVI. 1430.

ECKARDUS ex Monast. ad S. Andream Fuldæ  
ad reformandos Monachos in Schwarzbach  
vocatus anno 1450.

MARTINUS Abbas XLI. ex Monast. S. Ægidii  
Norimbergæ postulatus anno 1466.

GEORGIUS Abbas XLIV. ex Monast. S. Ste-  
phani Herbipoli à Laurentio de Bibra Episc.  
Herb. Monachis Schwartzacensibus etiam  
invitis præficitur anno 1505.

JOANNES CASSIANUS Professus ad S. Udalri-  
cum Augustæ Vindelicorum designatur Abbas  
Schwartzac. LII. anno 1628.

REMIGIUS WINCKEL olim Abbas Spanhei-  
mensis & Bergensis, ab Eminentissimo Archi-  
Episcopo Mogunt. & Episc. Herbip. Joanne  
Philippo ex illustrissima Gente Comitum de  
Schönborn pro Schwartzacensis Monasterii  
gubernatione Religiosis commendatus ab his  
Abbas LV. electus est anno 1646.

No-



Nomina Monachorum

Schwartzacensium, qui exter-  
norum Monasteriorum facti sunt

ABBATES.

EZZO Monachus Schwartzacensis: Abbas primus  
Salfeldiæ in Thuringia anno circiter 1057.

EMBRICUS Monachus Schwartzac.: Abbas  
primus Tharissensis in Bavaria anno circiter  
1058.

ALTMANNUS Monach. & Abbas in Schwartzach:  
Abbas plurium Monasteriorum, quorum  
nomina ignota sunt.

LEONARDUS Monach. & Abbas in Schwartzach:  
Abbas Auracensis ad Salam anno 1559.

JODOCUS JACOBI Monachus Schwartzac.:  
Abbas ibid. Aurac. anno circiter 1560.

JOANNES BURCHARDI Monachus & Abbas  
Schwartzac.: Abbas Banthensis anno 1573.  
Item Administrator ad S. Stephanum Herbi-  
poli anno 1590.

DANIEL HEUSSLEIN Monachus Schwartzac.:  
Abbas Monasterii Arnoldstein in Carinthia  
anno 1617.

K 2

Nomi-



Nomina Episcoporum Bam-  
bergenf. & Herbipol. qui in Mona-  
sterio Schwarzbach Religionem professi  
sunt.

**H**ERMANNUS Episcopus Bamberg. postea  
Monachus in Schwarzbach anno 1076.  
**E**RLUNGUS Episcopus Herbip. fit Monachus &  
moritur in Schwarzbach anno 1122.





Insigniores Monasterii Schwartzacensis Benefactores.

**A**DALBERO Episcopus Herbipolensis alter Monasterii Fundator, qui præter innumera nobis collata beneficia etiam Ecclesiam nostri Monasterii consecravit Anno Incarnationis Dominicæ 1074. quinto Idus Septemb. elapsis post Meingaudum primum Fundatorem nostrum annis ducentis sexaginta; & inter multas reliquias ad summum altare positas erat etiam dimidia ferè pars Corporis D. Felicitatis.

ADALBERUS Comes de Castel, circa Annum 1074.

CONRADUS Imperator. cir. an. 892.

S. CUNEGUNDIS Imperatrix. cir. an. 1001.

EBBO Canonicus. cir. an. 1074.

EGENHARDUS de ZEULEZHAUSEN. cir. an. 1074.

FRANCISCUS de HAZFELD Episc. Wirceb. cir. an. 1640.

ADAM

K 3

FRI.



FRIDERICUS de SCHÖNFELD. cir. an. 1228.

GEORGIUS LUDOVICUS à SENSHEIM. cir.  
an. 1561.

GOMHARDUS de WILEZHEIM. cir. an. 1079.

GERTRUDIS de ZABELSTEIN. cir. an. 1284.

HENRICUS Comes de Castel. cir. an. 1290.

HENRICUS Comes de ROTTENBURG, qui  
antiqua Monasterii privilegia restituit. cir.  
an. 1001.

HENRICUS Comes de GERLACHSHAUSEN.  
cir. an. 1115.

S. HENRICUS Imperator. cir. an. 1001.

HERMANNUS Comes de Castel. cir. an. 1074.

HERMANNUS de LADENBURG Episc. Wirc.  
cir. an. 1248.

HERMANNUS ex Episcopo Bambergensi Mona-  
chus Schvartzacensis cir. an. 1074.

INNOCENTIUS IV. Summus Pontifex. cir. an.  
1252.

JOANNES PHILIPPUS de STADION. cir. an.  
1692.

LUDOVICUS Comes de Castel. cir. an. 1074.

LUDOVICUS Miles de BRAID. cir. an. 1074.

MECH.



MECHTILDIS de SENSHEIM. cir. an. 1199.

RUDOLPHUS Episc. Herbip. cir. an. 892.

UDALRICUS de HANAU miles cir. an. 1283.

UDALRICUS Præpositus Majoris Ecclesiæ Bamb.  
cir. an. 1074.

WILHELMUS de THÜNGEN. cir. an. 1401.

WOLFRAMUS de GRUMBACH. WOLFS-  
KEEL Episc. Wirceb. cir. an. 1316.

*Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps  
FRIDERICUS CAROLUS D. G.  
Episcopus Bambergensis & Wirceburgensis  
F. O. D. Ecclesiæ nostræ illustrissimus Conse-  
crator. Cui vitam, salutem, & Gloriam ap-  
precamur.*

Illustres Familiæ Monasterio Schwartzacensi nexu  
Feudali obstrictæ.

De Crailsheim.

De Hefsberg.

De Seckendorff.

De Franckenstein.

Fuchs de Dorn-  
heim nunc de

Bechtelsheim.

Carthusia Ilmbac.

Vasallen, welche in Verände-  
rungs-Fällen, die Lehn-Em-  
pfängnuß begehen, & ho-  
magium fidelitatis in for-  
mâ curiis nobilibus con-  
sueta præstiren müssen.

EU-





EUCCHARISTICON  
 AD  
 REVERENDISSIMUM  
 AC  
 CELSISSIMUM  
 PRINCIPEM.

**Q**uod unum in hac tanta Solennitate omitti  
 à nobis sinè turpi ingratitude labe  
 non potest; eà, quâ par est, observan-  
 tiâ executuri, ad Principalem Thro-  
 num tuum, Reverendissime ac Celsissime Princeps,  
 procumbimus, pro exhibita nobis Tua erga nos pie-  
 tate immortales gratias persolventes; Enimverò,  
 dum novam Ecclesiam nostram solenni ritu conse-  
 crare clementissimè dignatus es, tam insigni uni-  
 versum Schwartzacensem Conventum gratiâ af-  
 fecisti, ut, siue illius amplitudinem consideremus,  
 siue promptitudinem attendamus, quâ licet & mul-  
 tis



*tis & gravissimis impeditus negotiis, eandem impertiri nobis voluisti, nec major praestari nobis, nec à Te expectari illustrior potuerit. Exultant proinde Templi nostri parietes, quos novâ hac in dedicatione gloriâ exornâsti; & si sileremus nos (silebimus autem nunquam) saxa clamabunt, FRIDERICUM CAROLUM Principem esse cultûs Divini promovendi studiosissimum. Exultant altaria, in quibus quot Missarum officia deinceps persolventur, tot pro Celsitudine Tuâ Ecclesie, Imperio & Franconia conservanda Deo immortalis hostie immolabuntur; Exultat præcipuè devotissimus Tibi Conventus Schwartzacensis, qui quoties Basilicam à Te dedicatam intuebitur, toties ad præstandum Tibi laudis homagium se se sentiet excitari. Cum verò Tua erga nos Pietas major sit, quàm ut eam Verbis exprimere valeamus; Veniam dabis, si devoto eam silentio Venerantes, ad obsequia nos Tua Reverendissime ac Celsissime Princeps promptos exhibeamus, Devotissimi Celsitudini Tue*

CHRISTOPHORUS, ABBAS, Volcencensis,

P. Alexander Gûnder, Prior, Sommerac.

L

P. Ilde-



- P. Ildephonfus Nöthscher, Sen. & Jub.  
Gemünd.
- P. Amandus Samhaber, Gerlocur.
- P. Otto Zeüs, Zeülenf.
- P. Bernardus Dorsch, Volcacenß
- P. Marianus Schuckart, Hafsurt.
- P. Ignatius Brendan, Wirceb.
- P. Bernardinus Barthelmes, Schonung.
- P. Philippus Lanius, Kirzingenfis.
- P. Sebastianus Cönen, Wirceb.
- P. Virgilius Cleer, Wirceb.
- P. Christianus Hefs, Iphoviens.
- P. Burckardus Molitor, Schwebenr.
- P. Henricus Eiberlein, Bamberg.
- P. Stephanus Decius, Mogonus.
- P. Chilianus Spies, Gerlocur.
- P. Bonifacius Ecklein, Eivelst.
- P. Felix Hahn, Fuldenf.
- P. Augustinus Hohn, Episc. Rhönan.
- P. Beda Bauer, Laureopolitan.
- P. Sylvanus Krenzer, Weisbacenf.
- P. Benedictus Gürsching, Northeimenf.
- P. Dominicus Otto Bamberg.
- P. Franciscus Körner, Coronac.

P. Bru-



- P. Bruno Schön, Hammelburg.  
 P. Placidus Haus, Wirceburg.  
 P. Carolus Marold, Volcacenf.  
 P. Ægidius Reß, Frickenhufan. ad Rhön.  
 P. Petrus Rohrbach, Bamberg.  
 P. Paulus Fuchs, Bamberg.  
 P. Andreas Fegelein, Sommeracenf.  
 F. Josephus Faber, Bamberg.  
 F. Romanus Köhler, Escherndorff. Laic.  
 F. Vitalis Fuchs, Stockenheimenf. Laic.  
 F. Maurus Most, Lüllsfeldens. Laic.





P. Bruno Schön, Hammelburg  
 P. Nicolaus Haas, Würzburg  
 P. Carolus Arnold, Volzheim  
 P. Augustus Bais, Hildesheim ad Rhön  
 P. Petrus Rohrbach, Bamberg  
 P. Augustus Luchs, Bamberg  
 P. Andreas Pöschel, Gommersheim  
 P. Johannes Luchs, Bamberg  
 P. Antonius Luchs, Bamberg  
 P. Antonius Luchs, Bamberg  
 P. Antonius Luchs, Bamberg













